

Petri et Pauli in Erford. omnibus in perpetuum. Quoniam dulcis et rectus dominus, bonorum nostrorum non egens, ad hoc humanam condidit creaturam, ut sibi serviret, et ut eidem pro impenso sibi servicio non solum temporalia, sed et celestia commoda largiretur: indecens esse videtur, quod qui de patrimonio suo ecclesias fundantes in eis Deo serviri perpetuo statuerunt et proinde in libro vite celestis ascribi meruerunt, deleri debeant a memoria hominum et maxime horum, quorum post Deum sunt precipui nutritores. Hinc est, quod felicitis memorie fundatoris nostri gloriosi regis Francorum domini Thagoberti beneficia memorie revocantes, quibus locum istum ad honorem Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli largissime sublimavit, terras, aquas, nemora et villas cum earum possessoribus, sicut in principali eius plenius invenitur privilegio, prout regalem decebat magnificentiam, eadem conferendo, ut in eo laus divina et disciplina monastica ad edificationem tam clericorum quam laicorum perpetuo perduraret, gravi dolore permoti super eo, quod tanti patroni nec dies anniversaria sciretur, nec etiam memoria in nostro monasterio ageretur, simulque metuentes illud propheticum¹: *Peccata populi mei comedunt*, eo quod oblata pro peccatis percipientes eidem fundatori nostro nec grates apud Deum nec aliquod speciale suffragium ipsius anime rependeremus, cooperante Domino misimus Parisius ad Sanctum Dyonsium, cuius monasterium dictus rex construxit, ubi de consuetudine omnium regum Francorum corpora requiescunt, et per ydoneum nuncium investigavimus et didicimus, quod anniversarius eius ibidem quiescentis peragitur annis singulis in crastino sancte Prisce². Ad hec quia de rei veritate tamquam ab unico teste instructi aliquantulum hesitavimus, misimus alium nuncium ad monasterium dictum Wizenburg, situm in Alsatia, quod etiam ipse ad honorem Dei et dicti³ Petri apostoli construxit, qui studiosa indagatione investigavit et in veritate comperit prefati regis anniversarium ibidem peragi annis singulis in predicto die, hoc est in crastino sancte Prisce, deferens nobis autenticas litteras super eo. Quapropter, quia per testes duos sufficienter [instructi⁴] sumus, auctoritate officii nostri, qua permissione divina, licet indigni, fungimur, et de beneplacito et consensu communis collegii nostri constituimus,

1) Osea 4, 8. Die Vulg. hat 'comedent'.

2) D. i. Januar 19.

3) So (dēi), vielleicht für 'sci' (sancti) verschrieben.

4) Fehlt Hs.